

R. N. A. Ad 1. prob. D. Id est usque ad Messiam adventum quem lex praefigurabat et ad quem velut paedagogus ducebatur, C. absolute N. Hinc saepius Deus admonet, veteri rescisso, novum ac aeternum foedus priori illo ac temporaneo longe praestantius ferendum esse cum Israele fideli, ita Jerem. XXXI. 31. « Ecce dies venient dicit Dominus, et feriam domui Israel et domui Juda foedus novum: non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum... pactum quod irritum fecerunt » etc. tum Is. LV. 3. « Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce testem populis dedi eum, ducem ac praecipitorem gentibus » etc., ubi apertum est sermonem esse de Messia, ipsis fatentibus Judaeis (a) ac de gentibus in idem pactum adsciscendis.

Ex his responsio patet ad ea quae subnectuntur de lege mosaica, quae hoc sensu potest dici aeterna, quatenus suum adimplementum et perfectionem in futuro Messia ejusque regno adeptura erat (b).

Ad 2. N. Imo prorsus contrarium constat ex prophetarum effatis quae adduximus, quibus addi debet ex Osea c. I. 9. III. 4. ubi sub symbolo filii cui jubetur nomen iudaei « Non populus meus » et sub symbolo mulieris fornicariae diu expectantis exhibetur populus Israel absque Deo suo. Quae autem allata sunt ostendunt non fore perpetuam refectionem filiorum Israel, ac futurum aliquando tempus quo ad Deum ac missum ab eo Messiam ipsi convertantur, quod libenter damus imo et profitemur (c). Tunc suum complementum habebunt crebra illa vaticinia de filiis Israel et Juda sub uno David rege suo pace fructuaris (d), ac ceteris, quae ipsis promittuntur bonis.

Ad 3. D. Et praeterea rejecti Messiae, ut inferius mox ostendemus, C. quorumcumque peccatorum N. Nec enim levioribus olim peccatis Judaei se commaculaverant, ut ex prophetis constat qui eis perpetuo

(a) Cf. Raym. Martini p. 782. seqq. ed. Carpz. nec non p. 885. seqq., toto cap. XX. III. p. dist. III. cum observat. de Voisin.

(b) Cf. Grot. op. cit. lib. V.

(c) Cf. Ose. III. 5. ubi Deus comminationum acerbiterat temperat meliorum temporum promissione. Quare ibi promittitur quod post multos illos dies revertentur Judaei ad Dei cultum desertis superstitiosis religionibus ac ritibus, et quidem submisso animo gratiam quarent, serioque ac sincero studio Deum colent. Nullum vero dubium esse potest aliquando Judaeos conversum iri ad religionem christianam juxta Apostoli predictionem Rom. XI. 14. seqq.

(d) Quum defectio Israelitarum a vero ac sincero cultu Dei conjuncta olim fuerit cum defectioe a Davide, rege divinitus instituto, ejusque familia (III. Reg. XII. 6.), ad emendationem illam, quae cit. loc. describitur, omnino pertinebat, ut hac etiam ex parte ad officium redirent; hinc additur *et ad David regem suum*. Quia formula innuitur, Israelitas conjunctos fore sub uno rege ex Davidis prosapia oriundo; quo Messiam spectari nulla est dubitatio, ut pariter legitur Ezech. XXXIV. 25. XXXVII. 24. Jerem. XXX. 9. hinc chaldaeus paraphrastes haec verba cum iis, quae proxime praecedunt ita reddidit: « Quarent cultum Domini Dei sui, atque obediunt Messiae filio David, regi suo. » Ac talis est unanimes Judaeorum omnium sententia. Cf. Rosenmüller in l. c. O. ex. et Ezech.

exprobrant adulteria, furta, homicidia aliaque infanda facinora, praesertim vero scelus adeo frequens atque commune idololatriae de quibus in praesentiarum vix accusantur; attamen Deus numquam destitit ab eis speciali quadam providentia prosequendis, imo minas et promissa, poenas ac praemia adhibens, ostendit se peculiarem de iis curam gerere. Neque ultra LXX. annos illos in captivitate detinuit, ac interim certiores saepe eos fecit de reditu, misit ad illos prophetas, qui eos solarentur, fidem miraculis excitavit ac vaticiniis. Ex quo vero iterum templum cum urbe Hierosolymorum eversum est, etsi saepe jejuniis se macerent, preces enizas ad Deum fundant, peccata confiteantur etc., non secus ac si Deo essent destituti, nullo solatio, nulla spe, nullo subsidio foverentur. Restat propterea invictum argumentum de scelere quo universa gens destinetur graviori ipsa idololatria, ob quod antiquum foedus vere abolitum est atque discussum (a).

Ad 4. D. Si ageretur de singulis individuis ac poena amore mixta, C. si de tota multitudine, seu massa, ut dicitur, N. Aliud nempe ferendum est judicium de poena quae singula individua afficit, aliud de ea, quae totam afficit multitudinem ac integram populi massam. Etsi enim verum est interdum populum integrum puniri ob privatorum peccata, praesertim si ista frequentia ac publica sint, neque expiata, attamen ejusmodi poenae ut plurimum non sunt nisi partiales ac temporariae, imo et extraordinariae, cum juxta providentiae ordinariae ordinem in illos cadat poena qui delinquant. Contra vero si punitio afficiat totam multitudinem et jugiter perseveret, ut ordinaria censi possit, dicendum totam multitudinem aliquo crimine teneri quod omnibus commune sit, sive quod defectum sit multitudinis. Talis autem est punitio, quae totam judaeam gentem afficit, spectata praesertim publica et ordinaria providentia, quam Deus erga hunc populum licet gravissimis ac publicis criminibus idololatriae in primis obstrictum per tot saecula ostendit. Hinc in tota illa temporis periodo quae a Moysae usque ad extremam Solymorum eladem intercessit, licet spectare correctionem patris avertentis in filios, cum toto illo tempore amor et gratia jugiter mitigaverint severitatem; ast in alia periodo, quae deinceps subsequuta est, omnia spectare licet signa Dei punientis reos ut judicis, quidquid de privata ac secreta ejus agendi ratione sit cum eisdem gentis individuis (b).

Ad 5. D. Quatenus populus, C. quatenus individua N. Nam homines singillatim sumpti rationem reddent de peccatis propriis, ac propterea juxta diversam uniuscujusque mensuram quilibet a Deo poenam quam fuerit promeritus accipiet, ac pro majori vel minori malitia, qua divinae gratiae resistit.

Ad 6. D. Cum se converterint verum Messiam agno-

(a) Cf. Derossi op. cit. c. II. §. XXV. seqq. pag. 61. seqq.

(b) Cf. Limborch. in amica collat. c. VI. in resp. ad tertium Scriptum Orobii p. 251. seqq.

scendo, Tr. antequam convertantur N. Transmissimus primum distinctionem membrum, cum nihil adhuc exploratum sit circa sensum quo accipi debeant divinae illae pollicitationes quae statum Israelitarum spectant post ipsorum conversionem (a). Alterum vero jure negavimus cum divina oracula durationem dispersionis judaeicae aperte protrahant usque ad generalem illorum conversionem. Quid postea de integra natione ad fidem conversa futurum sit, Deus novit. Interim ex ipsius jugi conservatione non pauca emolumenta in christianam religionem proveniunt. Inde enim habemus testes de scripturarum V. F. ac praesertim vaticiniorum, quae Messiam spectant authenticitate (b); vivum inde ac jure documentum habemus divinae in nos misericordiae, ac severitatis et divinae justitiae in Judaeos (c); ineluctabile demum inde habemus testimonium divinitatis religionis christianae, ac divinae revelationis ex jugi vaticiniorum adimplemento: quod nulli cavillationi ac subtilitati subest incredulorum hominum.

### CAPUT III.

#### De Jesu Nazareno vero Messia.

Si Messias jamdiu venit, quod hucusque disputata invictissime ostendunt, reliquum est ut inquiramus, *quoniam sit*. Hic autem alius esse nequit nisi ille unus in quem tum epochae promissi Messiae a prophetis definita, tum ejusdem characteres et notae apprimae conveniunt, tum denique qui officia ac munia Messiae propria obivit. Hunc porro alium non esse nec esse posse nisi Jesum Nazarenum ostendere aggredimur. Cum vero Orobins et cum ipso Salvador contendant jure Christum Jesum et ex legis praescripto fuisse ultimo supplicio affectum, cogimur propterea Christi causae vindicias sumere, ac simul ostendere necem Christo illatam novum esse argumentum quo Messiae

(a) Huc spectant judaizarum hypotheses de regno millenario quas denuo praeter nonnullos catholicos excitantur protestantes non pauci. Cf. de hoc argumento Muzzarelli Diss. select. Romae 1807. Dissert. tertia de regno millenario Christi visibiliter conversantis in terra, necnon P. Mamachii De animabus justorum Romae 1766. T. I. p. 26. seqq.

(b) Quod saepe animadvertit s. Augustinus, praesertim Enarr. in Ps. LVI. n. 9. ubi inter cetera haec scribit: « Dispersi sunt per omnes gentes, nusquam habentes stabilitatem, nusquam certam sedem. Propterea autem adhuc Judaei sunt, ut libros nostros portent ad confusionem suam. Quando enim volumus ostendere prophetatum Christum, proferimus paganis istas litteras. Et ne forte dicant dari ad fidem, quia nos illas christiani composuimus, ut cum Evangelio quod praedicamus finverimus prophetas, per quos predictum videretur quod praedicamus, hinc eos convincimus, quia omnes ipsae litterae quibus Christus prophetatus est, apud Judaeos sunt, omnes ipsas litteras habent Judaei. Proferimus codices ab inimicis ut confundamus alios inimicos... Codicem portat Judaeus, unde credit christianus. Librarii nostri facti sunt quomodo solent servi post dominos codices ferre, ut illi portando deficiant, illi legendo proficiant... Sic enim apparent Judaei de Scriptura Sancta quam portant, quomodo apparet facies caeci de speculo; ab aliis videtur, ab ipso non videtur. » Et alibi passim eadem repetit.

(c) Rom. XI. 22.

nomen ac dignitatem eadem maxime competere evincitur.

*PROPOSITIO I.* — *Jesus Nazarenus verus Messias est in Scripturis promissus atque a Judaeis expectatus.*

In Jesu Nazareno tria illa plenissime adimpleta sunt quae nuper recensuimus, epochae, notae et munia promissi atque expectati Messiae. Ergo Jesus Nazarenus est verus Messias in scripturis promissus atque a Judaeis expectatus.

Ac primo quidem ad epochas quod attinet, ex dictis istae omnes desinunt in Urbis templique vastationem, ac cetera quae eam subsequi debebant, sacrificiorum nempe, ac sacerdotii cessationem, antequam plane tolleretur civilis potestas et populo judaeo. Jam vero Christus Jesus sub ejusmodi tempus in mundum venit, fatisciente atque ad finem properante Judaeorum republica sub Herode patre idumaeo ac matre ascalonide. Venit circa exitum LXX. hebdomadarum Danielis, ita ut in fine hebdomadae LXIX. et initio hebdomadae LXX. publicam sui fecerit manifestationem, ac in medio hujus postremae hebdomadae occisus sit (a); venit ante Urbis ac templi direptionem, ac sacerdotii Aaronici et legalium sacrificiorum cessationem, quae omnia paulo post ipsius mortem subsequuta sunt. Venit nempe ea aetate qua constans apud Hebraeos et vicinos fuit opinio illis temporibus expectandum esse Messiam (b). Ergo epochae promissi Messiae in Jesum evidenter conspirant.

Verum conspirant praeterea in ipsum characteres et notae Messianae. Jesus enim ex tribu Juda ac familia David originem traxit: a Virgine matre ortus juxta Isa. VII. 14. (c) atque in civitate Bethlehemi prout praedixerat Michaeas V. 2. pauperem et humilem vi-

(a) Hoc tum ex dictis cum ageretur de vaticinio Danielis patet, tum clarius adhuc patebit ex inferius dicendis.

(b) Cf. Jahn. in cit. Appendice hermeneuticae fasc. I. p. 4. ubi recte observat spem venturi Messiae aetate Christi fuisse vulgarem, prout evincunt omnia illa N. F. loca in quibus refertur Jo. Baptistam, Jesum, et ejus discipulos annunciantes adpropinquare regnum caeli, seu Dei, mox ab omnibus fuisse intellectos, quin ulla quaestio moveretur, quidnam istud sibi vellet. Nec solum generatim aliquando, sed etiam illa praecise aetate venturus expectabatur promissus olim Messias prout clare elucet ex evangelistis narrantibus quod modo Joannes, modo Jesus a plerisque creditus fuerit Elias praecursor, quin etiam ipse Messias Matth. XVI. 14. 17. X. 45. Marc. VI. 15. VIII. 28. IX. 11. 13. IV. 20. Non erat haec vaga plebis dumtaxat opinio, sed ipsum quoque supremum nationis tribunal, synedrium dictum, legatione missa ad Jo. Baptistam eandem sententiam protulit Jo. I. 19-28. cf. Jo. X. 24. Matth. XXVI. 65. Marc. XIV. 61. Insuper Simeon ille senex, eruditus et Rabbi celeberrimus fortasse idem, qui in Talmude *justus*, et pater Gamalielis salutatur et Flav. Josepho *Archæol.* XIV. 9. 4. XV. 1. 10. sub nomine Sameas ab acceptis divinis revelationibus laudatur Luc II. 25 32. divinitus edoctus fuisse refertur se adhuc vivente Messiam nasciturum. Ut reliqua documenta alias allata praeteream.

(c) De hoc pariter vaticinio ex professo agemus in altera tractatus parte.

tam vixit iuxta Zachar. IX. 9., magnus exiit thau-  
maturgus, quod sursum Isaias XXV. 6. seq. et alibi  
passim prænunciaverat, quæ quidem omnia vaticinia  
ad Messiam pertinere unanimi consensione Judæi ipsi  
fatentur (a). Neci præterea ipse a Judæis traditus est,  
et eo quidem supplicii genere quo ipsum occisum  
iri prænunciaverat David Ps. XXI. præsertim vero  
Isaias LIII. ut alia præterea vaticinia de ipsius re-  
surrectione et gloria, quæ post Raymundum Martini  
fuse prosequitur Huetius in Demonst. Evangelica  
prop. IX (b).

Post Jesu repudium non solum desolata est civitas,  
templumque subversum, sed ubique victimæ cessa-  
runt, cessavit et sacerdotium, novumque sacrificii  
genus a Christo Jesu institutum oblatum statim est  
ubique terrarum per sacerdotes e gentibus conversis  
delectos, quæ pariter omnia a Daniele, Malachia  
aliisque prophetis prænnuciata de futuro Messia fuisse  
ostendimus. Gentes autem omnes per apostolos ad  
ipsas a Jesu Nazareno missos ejuratis superstitioni-  
bus ac idololatriæ cultu, non coluerunt deinceps nisi  
Deum Abraham, Isaac et Jacob, atque ita Dei populus  
factæ sunt, quæ ante non erant, atque ita impletum  
est quod per Jacob Gen. XLIX. prædictum fuerat,  
aliosque prophetas locis antea commemoratis.

Hæc autem omnia publicis factis ac documentis  
innituntur, quæ nulla cavillatione eludi possunt. Cum  
igitur adamussim omnia quæ de promissa Messia  
prædicta esse vidimus, in Jesu Nazareno completa  
sint, præstat hanc propositionem concludere argu-  
mentatione ipsa, qua R. Nachmanides adversus  
christianos usus est in disputatione cum Paulo Bur-  
gensi (c). « Ego ostendam clarissime neutiquam  
Messiam venisse. Non enim quisquam fuit, aiebat  
Nachmanides, qui (aliqua similitudine et specie veri)  
aut se ipsum Messiam profiteretur, aut Messias ab  
aliis fuerit appellatus præter Jesum Nazarenum. At-  
qui Messiae nomen ac dignitas in Jesum Nazarenum  
conferri nequit: Messias igitur nondum venit. » Sic  
ille; nos vero cum cl. Derossi paucis mutatis sic  
eandem argumentationem in rem nostram converti-  
mus et in Judæos intorquemus: Messias jamdudum cer-  
tissime venit: atqui nemo se ipsum dixit, aut cum  
aliqua similitudine et specie veri Messias ab aliis ap-  
pellatus et creditus est præter Jesum Nazarenum.  
Unus est igitur Jesus Nazareus cui Messiae nomen  
ac dignitas tribui jure optimo possit (d).

#### DIFFICULTATES.

I. Obj. Perperam Christiani ex recensitis vaticiniis  
Jesum verum Messiam esse concludunt. 1. In primis  
enim nec ipsi Christiani doctores inter se consentiunt  
circa Jacobi vaticinium, quod alii esse intelligendum

(a) Cf. Schœtgenium op. cit. de Messia ad ejus-  
modi loca.

(b) Cf. etiam Euseb. in Demonstrat. evangel. lib.  
IX. et X.

(c) Cf. Disputat. R. Nachmanidis cum fratre Paulo  
apud Wagenseilium *Tela ignea satanae* T. II. pag. 40.

(d) Op. cit. cap. VII. p. 164.

contendunt de regia dignitate permansura in tribu  
Juda usque ad Messiae tempora; alii de suprema qua-  
dam potestate; alii de potestate legislativa quæ in Sy-  
nedrio resedit; alii autem respicere illud oraculum  
solum tribum Juda, alii ad universam israeliticam  
gentem illud extendunt (a). Sed præterea animad-  
vertere juverit vel longe ante Jesum, vel longe post  
ipsum sceptrum a Juda ablatum esse. Etenim e Juda  
sceptrum recessit sub Nabuchodonosor, neque un-  
quam illud Juda tribus recuperavit. 2. Nam Judæi  
soluta captivitate servierunt regibus Persarum, qui-  
bus tributa solvebant ex terræ frugibus aliisque pro-  
ventibus, ut ex II. Esd. IX. 37. constat; servierunt  
deinceps grecis; excusso demum grecorum jugo,  
sub potestate fuerunt assamonæorum, qui erant ex  
tribu Levi usque ad Herodem sub quo Jesus natus  
est. 3. Quod si contendunt christiani sceptrum etiam  
post captivitatem in tribu Juda perseverasse, tunc  
nihil pariter ipsi evincunt ex Jacobi vaticinio cum  
exploratum sit longe post Jesum sceptrum Judæos  
retinuisse. Certum enim est Herodem non alienigenam,  
sed Judæum tum religione tum origine fuisse,  
prout testatur Josephus Archæol. I. XX. c. VI. ubi  
eum aperte dicit « Judæorum genere prognatum. »  
Quare Scaliger, ut observat etiam Valesius (b), abun-  
de docuit in notis ad Eusebii Chronicon Herodem  
non fuisse alienigenam. Nihil igitur pro christiano-  
rum causa ex Jacobi vaticinio extendi potest.

R. N. A. Ad 1. prob. D. Christiani doctores inter  
se non consentiunt circa modum seu rationem expo-  
nendi jacobæum vaticinium in nonnullis accidentali-  
bus, C. circa rei ipsius substantiam N. Omnes enim  
in eo conveniunt interpretes christiani (si nonnullos  
judaizantes protestantes seu rationalistas excipias,  
quibus quidlibet audiendi semper fuit æqua potestas),  
ut tum jacobæum oraculum ad Messiam referant tum  
in Christo Jesu adimpletum esse contendunt. Multi-  
plex igitur Christianorum doctorum hujus vaticinii  
expositio non aliud evincit nisi plures adesse vias ad  
Judæos refellendos; cum vero alia aliis probabiliores  
sint suisque probentur auctoribus, non est cur de una  
potius quam de altera solliciti simus. Nobis tamen  
vehementer probatur illa quam doctissimus Petavius  
sequitur. Censet autem sceptri nomine supremam  
potestatem a Jacob significari, quæ in tribu Juda ju-  
giter permansura erat usque ad Christi adventum.  
Etenim hæc tribus ad ceterarum discrimen nunquam  
dissoluta fuit, sed unum semper, ut ita dicam, corpus  
constituit, licet diversas vices, ac regiminis diversas  
formas subierit, diversosque duces ac principes necia  
sit (c). Hæc porro expositio magis conformis videtur

(a) Cf. Alfonso Nicolai S. J. *Lez. III. sul Genesi*  
ubi mira brevitate et eruditione diversas recenset et  
expendit christianorum expositiones de vaticinio Jacobi.

(b) Valesius in not. ad cap. VI. libri I. H. eccl.  
Eusebii.

(c) Lib. XVI. De Incarnat. c. VIII. Cf. etiam Tournemini  
egregiam dissertationem de jacobæo vaticinio ex Trevoltiensibus  
ephemeridibus mens. Mart. an. 1705. art. XLV. quam latinam reddidit atque

contextui et rerum eventibus, commodior præterea  
est ad Judæorum tricas dissolvendas.

Hæc enim posita jam ruit sponte sua, quod ex ca-  
ptivitate babilonica, atque ex regno persarum atque  
grecorum, multo vero magis ex assamonæorum regi-  
mine secundo loco objiciebatur. In unum enim cor-  
pus semper coaluit tribus Juda ac propriis legibus  
institutiisque usa est, ut jure inde inferamus supre-  
mam potestatem apud tribum Juda stetit secus ac  
reliquis tribubus hæc illæ dispersis contigerit. Præ-  
dictiones autem Jacobi respiciebant fata domestica ac  
propterea relativa erant, seu per comparationem di-  
cta ad ceterarum trium eventa (a).

Ad 3 D. Id est ad Christi adventum non omnino  
desiit, Tr. non ita imminutum fuit, ut ad interitum  
festino gradu non properaret, donec paulo post om-  
nino desierit N. Ut enim animadvertit Petavius, cum  
agitur de imperiorum regnorumque eversionibus non  
uno temporis momento eas perfici necesse est, neque  
ita intelligenda esse vaticinia, quæ eas prænnuciant,  
sed morali quadam latitudine ac per quadam inter-  
valla, et per gradus prout in casu nostro accidit.  
Ablatio enim illa aliquanto ante Christi ortum in-  
choata tempore est, ac deinde progressa, tandem in  
templi et Urbis excidio, Vespasiano Imperatore per-  
fectum habuit exitum (b).

In data expositione patet parum referre ad jacobæi  
vaticinii veritatem criticam disquisitionem utrum He-  
rodes iniquissimus fuerit an alienigena. Exploratum ta-  
men est apud eruditos Herodem origine idumæum  
fuisse, neque ulla jam contentio est. Verba citata  
non sunt historici Josephi, sed Judæorum cum Sy-  
ris altercantium, inter populos prior et potior habe-  
retur in civitate Casaræ. Josephus enim iterum  
iterumque affirmat Herodem idumæum esse, imo  
confutat Nicolaum Damascenum, qui ex assentatione  
Judæorum genere satum Herodem assererat (c).

vulgavit. Zacharias in append. ad lib. XVI. Petavii de  
Incarn.

(a) Cf. Petav. Rationarium temp. lib. III. c. VI.

(b) Cf. l. c. De Incarn. c. VI. §. 5. seq. ubi inter  
cetera illud recte animadvertit cl. vir « non esse pa-  
triarclia illius oraculi mentem, ut tempus præcise  
designet, quo Messias affuturus est, ut eodem mo-  
mento, quo illud evenit, quidquid tandem est, quod  
futurum ante prædicit, Messias accedat. Hoc enim in  
nulla prorsus vaticinii illius interpretatione constat.  
Verum ita intelligendum hoc est, ut cum illa quo-  
cumque tandem interpretare modo, præcurrentis si-  
gna extare videris, tum scias, Messiam jam in mun-  
dum venisse: ut a posteriori sumptum indicium  
antececedentis rei faciat fidem. Prius enim Messias  
venturus dicitur, quam ab Juda sceptrum recedat.  
Simul illud repetendum est, quod alibi monui: pro-  
phetiarum eventa non una aliqua temporis particula  
circumscribi: sed paulatim evoluta compleri. Sic  
istud ipsum, quod Jacob edidit, de auferendo scepro,  
pedetentim est impletum. Ac quemadmodum homo,  
quandiu spirat, et cum morte luctans seorsum defi-  
cientem trahit animam, vel mori vel vivere dicitur:  
sic ablatio sceptri, et judæicæ communitatis, ac *πολι-  
τείας* extinctio paulatim est expleta. »

(c) Sic enim ex propria sententia de Herodis ori-  
gine scribit Josephus Archæol. lib. XIV. c. 1. Idu-  
mæus Antipater, quamvis Nicolaus Damascenus

II. Obj. Omnia incerta sunt in vaticinio Danielis.

1. Christiani ipsi mirifice inter se discipant circa  
initium perinde ac circa exitum harum hebdomadum.  
2. Quis propterea sibi persuadeat Jesum Nazarenum  
in medio septuagesimæ postremæ hebdomadis mor-  
tem obuisse, prout contingere debuisset juxta Danie-  
lis vaticinium? 3. Sed neque adimpleta sunt quæ in  
eodem oraculo de Messia prænnuciantur; 4. nam ne-  
que in dimidio hebdomadis defecit hostia et sacrifici-  
um; neque sub ipso deletum peccatum est, et sub-  
lata iniquitas, vel adducta justitia sempiterna, cum  
tam late hodie pateat iniquitas ac ante Jesu adven-  
tum. 5. Nusquam præterea legitur Jesum aliquando  
inunctum fuisse. Cum igitur ab exitu hebdomadarum  
nihil colligi possit, adjuncta vero vaticinii minime  
adimpleta esse constat, jure inferitur Danielis vatic-  
inium in Jesu Nazareno haud esse completum.

R. N. A. Ad 1. prob. D. Ita tamen ut omnes con-  
sentiant duos terminos a quo et ad quem intra utrius-  
que templi destructionem in vaticinio contineri atque  
concludi, perinde ac Judæi ipsi fatentur (a), C. in  
supputationibus chronologicis Tr. Circa duos recen-  
sitos terminos vix ulla est controversia. Tota propte-  
rea disceptatio versatur circa determinationem hor-  
um terminorum prout subjiciuntur supputationibus  
chronologicis. Jam vero communi calculo jam proba-  
tur, *terminum a quo* prophetiæ Danielis initium  
capere ab edicto quod Artaxerxes dedit an. XX. regi-  
ni sui de reedificanda Urbe (Nehem. II. 8. 18.  
collat. Dan. IX. 25.) nam usque ad id temporis  
murus Jerusalem dissipatus erat et portæ ejus igni  
combustæ (Nehem. I. 3). Præterea omnes chrono-  
logi concordēs in eo sunt, quod Xerxes Artaxerxis  
pater regnare cœperit an. 485. ante Christum, Arta-  
xerxes vero mortuus sit an. ante Christum 425. igitur  
ab initio regni Xerxis ad mortem Artaxerxis  
fluxerunt an. 62. si ab his annis demas an. II. quibus  
regnavit Xerxes, patet regnum Artaxerxis durasse  
an. 51. et hunc regnare cœpisse an. ante Christum  
474. Datum est autem edictum ab Artaxerxe an. 20.  
regni sui. Ergo hebdomades Danielis decurrere cœ-  
perunt an. 455. ante Christum. Porro hic annus in-  
cidit in an. 299. Urbis conditæ. Hincsi incamus cal-  
culum LXX. hebdom. ab an. 20. Artaxerxis et Urbis  
cond. 299. habebimus finem hebdomadis LXIX:  
nempe an. 485. et initium hebdom. septuagesimæ an.

hujus genus deducat a primariis Judæorum, qui a  
Babylonia in Judæam reversi sunt. Sed hoc dicit gra-  
tificans Herodi ejus filio, quem fortuna ad Judæorum  
regnum evexit. » Recte propterea Eusebius I. I. H.  
eccl. c. VI. affirmat, idque auctore Josepho, Hero-  
dem fuisse gentis judæicæ alienigenam *τὸ γένος ἀλλογενῆς*. Plura vid. in Chronico et Demonst. evang. lib.  
VIII. c. I. Cf. Christ. Noldii: *Historia Idumæa seu de*  
*vita et gestis Herodum diatribe ad calcem II. volum.*  
*opp. Josephi ed. Havercamp. Adversus Scaligerum*  
*et Valesium vid. Petav. in Rationar. temp. p. I. p.*  
*195. nec non Nic. Serarium S. J. adv. Scaliger. in*  
*diss. Herodes in Thes. Ugolini t. XXIV. p. 898.*  
seqq.

(a) Cf. Raym. Martini p. 2. 2. seqq. Derossi op.  
c. cap. III. Recolantur superius dicta.

U. cond. 782. qui est Tiberii Imp. an. 15.; sed hic annus ex Luc. III. 1. est annus publicæ manifestationis Christi, ac propterea, quod consequens est, anno tertio cum dimidio seu in medio septuagesimæ hebdomadis occisus est Christus, defecit hostia et sacrificium, deletum est peccatum et adducta justitia sempiterna per ejus mortem (a).

Ad 2. R. Imo facile hoc est ostendere ex modo dictis, etenim si ab an. 20. Artaxerxis in quo constituitur terminum a quo ad publicam Christi apparitionem, quæ ex Luc. III. 1. incidit in annum 15. Tiberii seu an. ab Urbe condita 782. numeremus an. 485. patet hanc apparitionem dissitam esse ab an. 20. Artaxerxis spatio LXIX. hebdomadum. Porro Christus, ut colligitur ex Joanne qui quatuor a Christo celebrata paschata commemorat (b), evangelium

(a) In hac supputatione assumitur Artaxerxem regnare cœpisse an. ante Christum 474. et Xerxem ejus patrem regnasse an. 41. Plura autem sunt argumenta tum directa, tum indirecta quæ id suadent, quæque nos vix innumeris ne prolixiores simus.

Directa sunt: 1. Ab an. 41. regni Xerxis nihil habetur in scripturis et historicis de ipso. Ctesias c. 28. refert exiguum aliquid factum, quod accidit paulo post bellum græcum. 2. Duplex habemus testimonium, quo reditus ejus ex Græcia et mors ætissime conjunguntur. Ælianus Var. Hist. XIII. 5. et Justinus III. 4-5. Cum 11. annis regni Xerxis convenit ætas Artaxerxis quam ei assignat Justinus l. c. nempe 68. an. cum mortuus est. Juxta plura et gravia testimonia pax problematica cimonica post prælium ad Eurymedonem 470. an. ante Christum inita est. Ast hæc pax inita est cum Artaxerxe, ergo initium ejus regni ante 470. ponendum est.

Argumenta indirecta: 1. Initium regni Artaxerxis juxta Thucydidem incidit in tempus brevi præcedens fugam Themistoclis in Asiam. Cf. Hist. c. 157. et Charon e Lampsaco apud Plutarchum in vita Themist. c. 27. Annus vero fugæ Themistoclis dat nobis Cicero Læli. c. XII. scribens: «Themistocles fecit idem quod 20. annis ante apud nos fecerat Coriolanus.» atqui Coriolanus fugit ad Volscos an. 265. U. C. nempe an. 492. ante Christum, ergo fuga Themistoclis an. 472. contigit. Themistocles autem venit ad Artaxerxem. Ergo 2. Diodorus Siculus XI. 55. fugam Themistoclis ponit in Olymp. 77. 2. scil. 471. ante Christum; Eusebius eam ponit ad Olymp. 77. 1. ergo fere coincidunt. 3. Tota series rerum a Thucydide relata nos cogit ut ejus fugæ tempus statuamus non infra an. 475. etc. Hæc aliaque argumenta non pauca quisque recolere poterit apud Hengstenberg. op. c. I. p. I. et II. pag. 341. seqq.

Petavius tamen lib. X. De doct. temp. c. XXVI. seqq. aliam inivit viam ad conciliandos historicos contendens annis 10. Artaxerxem regnasse cum Xerxe ejus patre. In hac vero hypothesis eundem finem obtinemus. Cf. ib. et lib. XII. c. XXXII. seqq.

Cf. etiam Hist. de l'Acad. des Inscriptions, t. XXXI. «Eclaircissements sur les règnes de quelques rois de Babylone et de Perse par M. Gibert, p. 29. Suivent pag. 51. Nouvelles observations sur l'année des anciens Perses, » ejusdem auctoris, qui in eo convenit cum Petavio ut tribuat Xerxi regnum 20. vel 21. ann.

(b) Primum quidem H. 15. fere statim ac Christus Dominus in publicum prodit; alterum V. 1. ubi probatiæ piscinæ meminit: sub nomine quidem *festi diei* tantum illud designat: verum *festus dies* Matth. XXVI. 5. Marc. XV. 6. Luc. XXIII. 17. per antonomasiam pascha nuncupatur: præterea eum Galileam petens Samariam venisset, quatuor mensium inter-

suum prædicavit per an. tres cum dimidio, donec scilicet in dimidio septuagesimæ hebdomadis neci traditus est. Hæc autem hebdomada septuagesima confirmatum est pactum multis tum Christi Jesu prædicatione et morte, tum prædicatione apostolorum in tota Judæa; ac propterea omnia adamussim completa cernuntur quæ de Messia prædixerat Daniel.

Ad 3. D. Facto C. jure N. Cum enim leviticus cultus non esset nisi figura cultus inducendi per Messiam, et sacrificia levitica non essent nisi adumbratio sacrificii a Messia per mortem suam offerendi ac consummandi, apertum est quod veniente *figurato*, sive *re figuræ* et umbræ cessare debuerint. Cum vero mors Christi ex dictis in medio septuagesimæ hebdomadis contigerit, hoc ipso sœdus antiquum per mortem Filii Dei abrogatum est, et cessavit sacrificii levitici cultus quoad suum esse *intrinsicum* in dimidio ipsius hebdomadis: parum vero interest quamdiu adhuc duraverit quoad actionem externam, que tamen paulo post et ipsa omnino desiit. Hæc abrogatio legitima per veli scissuram manifestata satis fuit.

Ad 4. N. Si Daniel loqueretur de ablatione peccati subjectiva, Tr. vel C. si de objectiva N. porro hic Daniel loquitur de remissione peccatorum omnimoda concedenda per Dei misericordiam, tanquam de dono Dei ob mortem Christi cum qua ejusmodi remissio connectitur, perinde ac justitia sempiterna adducenda velut fructus ejusdem mortis. Nempe causa patet tum remissionis seu veniæ peccatorum humani generis, tum sanctitatis adipiscendæ ab ipsis hominibus per Christi mortem eodem sensu quo Is. LIII. prænunciata fuerat. Quanam autem ratione homines singuli subjective bona hæc consequi debeant hic non exponitur, sed aliunde peti debet. Nec enim, adveniente Messia, aut tollenda ratio meriti in bonis operibus, aut peccandi potentia erant, quod nullibi legitur, quin potius contrarium supponitur Is. LXV. 20. et alibi passim, quod nec ipsi Judæi difilitentur (a).

vallo messes aberant Jo. IV. 35. Profectus inde in Galilæam, Hierosolymam ad festum reversus est: nullum hoc temporis intervallo præter pascha festum occurrit: quare Irenæus de paschate sermonem esse docet lib. II. c. 22. n. 5. ed. Massueti. Tertium pascha VI. 4. non multo post celebratum a Christo est, quo ingentem multitudinem paucis, qui præsto erant, panibus ac piscibus multiplicatis aluerat. Ultimatum XIII. 1. pridie mortis suæ.

(a) Cf. Schættgenium de Messia lib. VII. c. II. §. 15. seqq. unum vel alterum speciminis gratia testimonium afferamus: Targum Is. LIII. 4. 5. 6. ubi vi verborum c. LII. 15. expresse de servo Dei Messia sermo est: «Pro peccatis nostris ille deprecabitur, et delicta nostra in ipsum immissa sunt... et ille vulneratus est pro peccatis nostris, traditus pro iniquitatibus nostris: et per castigationem ejus pax multa erit super nos, et si audiamus verbum ejus peccata nostra nobis remittuntur... et coram Deo beneplacitum est, ut remittat peccata propter eum.» In Jalkut Rubeni, fol. 50. 4. et Alshech ad Is. LIII. 4. «Messias portat peccata Israelitarum.» Schemoth rabba fol. 112. 3. «Dixit Deus, sit benedictus, ad Israelitas: vos fecistis mihi operculum;» «Ego expiabo peccata vestra» nempe tempore Messia, etc. Non omnes autem frui-

Ad 5. D. Uctione materiali, C. spirituali et mystica N. De spirituali autem Messia uctione, quæ consistat in effusione donorum Spiritus Sancti ipsi facta ut suum munus impleter loqui Daniele, planum fit ex Ps. XLIV. 8. «Propterea unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ» et Is. LXI. 1. «Spiritus Domini super me, eo quod unxit Dominus me; adnuntiandum mansuetis misit me: etc. Quæ cum de Messia exponant ipsi Judæi, patet qua ratione accipi debeat Messia uctio, et in quo præcise consistat. Cf. etiam Is. XI. 1. seqq. Hæc autem uctio in Jesu contigit in ipsa incarnatione per assumptionem humanitatis in consortium divinæ personæ, ut suo loco exponemus, ac denuo manifestata est publice in ipsius baptismo.

III. Obj. Saltem Aggæi et Malachia oracula in Christo Jesu adimpleta non sunt. 1. Uterque enim propheta loquitur de adventu Messia ad secundum templum, nempe Zorobabelicum, Christus vero non venit nisi ad tertium ab Herode extractum, quodque propterea Herodianum dictum fuit. Herodes siquidem illud et fundamentis crexit, sublatis prioris templi fundamentis, prout refert Josephus I. XV. Antiquit. Cap. XI. n. 1. ubi scribit «Tunc igitur decimo octavo anno regni Herodis post ea facta, quæ superius dicta sunt arduum opus aggressus est, ut Dei templum sua opera ædificatum iret, eique ampliorem ambitum daret, et in altitudinem magnificentissimam erigeret. Itaque biennio postquam materiam præparasset (prosequitur n. 5.), sublatis veteribus fundamentis, et actis aliis super eis templum crexit» (a). 2. Deinde juxta eosdem prophetas Messias venturus in secundum templum *desideratus* dicitur *cunctis gentibus*, at vero omnes gentes insurrexerunt adversus Jesum. 3. Denique intra *modicum* tempus, ac *statim* venturus promittitur, quingentorum porro annorum spatium fluxit a Zorobabeli templi constructione ad Christum Jesum; nemo autem talem annorum seriem dicet *modicum* aut imminuentem eventum; 4. adde nullam, adveniente Jesu, cœli terræque commotionem contigisse qualis ab Aggæo prænunciatur. Ergo.

R. N. A. Ad 1. prob. N. Etsi enim daremus, quod tamen non pauci eruditi negant (b), Herodinum ad-

tuos esse hæc peccatorum expiatione, sed eos solum qui Messiae adhærebunt, ei obediendo, liquet ex Sanchedrini fol. 58. 2. ubi legitur: «Si sic est, colito illum, seu, ne rebelles ei, vel etiam, ne rebelles mihi in eo. Si enim sic est, non auferet peccatum vestrum. Respondit Rabbinus: Fides est in manibus, sed tamen eum tanquam legatum suscipere volumus.» Cf. etiam Raym. Martini in Pugione fid. p. III. dist. I. c. 5. §. 5.

Ex his porro aliisque prope innumeris Judæorum testimoniis, quæ afferri possent patet non alio sensu a Messia peccata fuisse delenda, et adducendam justitiam, quam quod per mortem ac merita sua obtinere debuerit hominibus eorum remissionem tum quoad culpam, tum quoad poenam, ea tamen lege, ut per fidem et bona opera eadem merita sibi applicent, quod suo loco ostendunt. TT.

(a) Ed. Haverc.

(b) Cf. Sallianum S. J. Annales ecclesiastici V. T.

ficiam novam fuisse templi molitionem, attamen neque spectata rei natura, neque in sensu religioso ac populari *tertium* templum vocari potest quod ab Herode excitatum est. Ac primo quidem spectata rei natura; etenim Herodes non nisi destructo per partes veteri ædificio novum molitus est, ideoque jure semper perseveravit sacrificium. Ipsa Herodis intentio postulavit identitatem templi sui cum Zorobabelico, hinc per partes singulares diruebat et ædificabat (a). 2. Ex consuetudine loquendi historica, omninoque populari templum illud *secundum* et fuit et recte appellatum est, ac propterea ab ipso Josepho sæpe sæpius Herodianum opus *instauratio* templi nuncupatur. 3. Templi *novi* nomen in sensu religioso (non architectonico) tale templum requirit, cujus ædificatio incidit in novam periodum historiciæ theocraticæ, ita ut hæc nova periodus per novum templum exterius repræsentetur; quare receptum est apud Hebræos, ut templum secundum vocetur totum illud ævum quod a Zorobabele ad Vespasianum protenditur. Hinc pariter Rabbinus, templum a Messia juxta ipsos excitandum sub mundi finem, *tertium* appellant, et secundum templum decennio diutius Salomonico stetisse contendunt (b). Demum exploratum est illis temporibus omnes in expectatione Messia fuisse. Quacumque ex parte propterea res ista spectetur patet in Christo Jesu hæc vaticinia fuisse completa (c).

Ad 2. D. Quamdiu ipsas latuit quinam fuerit, C. cum ipsis innotuit N. Nam ut primum Christus Jesus prædicari cœptus est, non modo innumeri prope homines in ipsum crediderunt, quod ex celerrima evangelii propagatione constat per universum terrarum orbem, verum etiam eo amore erga ipsum exarsere, ut non dubitaverint pro eodem sanguinem ad vitam profundere, ut suo loco ostendimus (d).

Ad 3. D. In se, Tr. relative, seu respectu totius præteriti temporis, quo expectatus est Messias N. Sæpissime autem prophetæ de brevi temporis spatio usque ad adventum Messia loquuntur ut Is. X. 25. XL. seqq. Jerem. XXX. 5; quo sensu pariter Malachias usurpavit illud *statim* heb. *כְּנָפַי*, quod vatum hebræorum non nostro more, sed prophetico, dictum fuisse

tom. VI. fol. ad an. 4055. n. 5. seqq. necnon Harduinum de Nummis Herodiarum in notis ad an. U. c. 754. Inter opera selecta Amstelod. 1709.

(a) Cf. I. A. Ernesti in Progr. de templo Herodis M. ad Agg. II. ro. et Josephi Antiqq. judd. I. XV. c. XI. in opuscul. philolog. critt. p. 547. seqq. ed. sec. Lugd. Batav. 1776. qui etsi contendat Herodem, destructo per partes veteri templo, illud ex integro ab ipsis fundamentis reædificasse, is tamen, ut componat vaticinium Aggæi cum Messia adventu ad templum herodianum, animadvertit, in consuetudine loquendi historica ac populari templum ab Herode per partes destructum restitutumque, a priori non distingui, quod Judæi a Chaldæa reduce extraxerant, sed nomine atque appellatione cum eo confundi. Cf. etiam Hengstenberg Christologia V. T. etc. par. III. Berol. 1835. p. 567. seqq.

(b) Cf. Th. Goodwini Moses et Aaron cum notis Hottingeri in Thesaur. Ugolini t. III. p. 168. not. 19.

(c) Cf. Raym. Martini P. II. c. IX. §. 12. seqq.

(d) Tract. de vera relig. p. I. cap. IV. prop. III.

ex Dan. VII. Ezech. IV. 3. Ps. LXXXIX. 4. patet (a).

Ad 4. D. Qualem sibi Judæi fingunt, C. In sensu prophetae N. Sensus enim verborum Aggæi non aliud præ se fert nisi ingentem universitatis regum mutationem, seu immutationem totius nature, quæ in adventu Christi reipsa contigit per tot miracula in Christi nativitate, ac vitæ ipsius serie et morte, in descensu Spiritus Sancti sub visibili simbolo, tum in religionis christianæ promulgatione patrata, per reipublicæ judæicæ interitum, ceterasque innovationes ex religione christiana in mundum inductas (b); quo sensu Deus Is. LXV. 27. et LXVI. 22. dicit: «Se novam terram producturum.»

IV. Obj. 1. Intelligi nequit qui factum fuerit, ut in tanta vaticiniorum luce qualem Christiani comminiscuntur, Judæorum primores atque doctores, synedrium universum atque Pontifices Messianam dignitatem in Jesu minime agnoverint, sed ipsum repudiaverint ac morte multaverint. Magnum sane præjudicium hoc esse contra Christi causam nemo est qui non agnoscat. 2. Quod si illi quos vehementer incendebat Messia desiderium quique eum summopere exoptabant, quibus longe melius perspectus erat divinum oraculorum sensus, ante quorum oculos omnia illius ætatis adjuncta et Christi facta observabantur diversum adeo iudicium tulerunt, concludamus necesse est in Christo Jesu Messiana vaticinia nullo modo esse adimpleta. Quod vel ipsa sua agendi ratione

(a) Cf. Scheibel in observat. crit. et exeget. ad vaticinia Haggaï et Malach. p. 56.

(b) Dan. Tobenz opp. omn. T. VIII. in nota ad locum ad Hebr. XII. 26. Verba ista, inquit, leguntur Agg. II. 7. (Hebr. 6). Ast hæc citatio est secundum LXX. In hebraico habetur: *adhuc unum modicum, et ego commovebo* etc. Sed hebr. potest quoque sic verti: *adhuc semel (sed modicum durabit), et ego commovebo*. Per commotionem cæli et terræ hic innui videntur regnorum subversiones, quæ inter hanc prophetiam Aggæi et adventum Messia evenerunt; videlicet imperii persici destructio per grecos, regni grecorum per romanos, reipublicæ romanæ per Augustum. Ast scopus Pauli manifeste exigit, per hanc commotionem cæli et terræ intelligi nature totius immutationem, hoc est, miracula in promulgatione religionis christianæ facta, idololatriæ eversionem, status judæici interitum, christianorum persecutiones, eorumque constantiam, ceterasque innovationes per religionem christianam mundo inductas. Facit enim oppositionem dicens: in promulgatione V. L. tantum terram, hoc est, montem Sina, motam fuisse; in promulgatione vero Novæ non terram tantum, sed cœlum quoque concutiendam, hoc est, majorem rerum conversionem inducendam esse, ac tunc fuerit. Unum igitur de tribus dicendum, *vel*, quod iste solus sit verus horum verborum sensus, adeoque per hanc commotionem non intelligantur regnorum subversiones Messia adventum præcedentes; *vel* quod utrumque iis designetur. . . *vel* quod textum Aggæi Paulus scopo suo accommodarit. Hoc postremum membrum systemati protestantico accommodationis relinquendum est. Eodem enim sensu quo Paulus exponit Aggæi vaticinium accepisse veteres Hebræos ostendit de Voisin in observ. in procemium Pug. fidei pag. 166. quem cf. Sic pariter falsitatis arguit Rosenmüller in interpretatione R. Abarhanel comment. in Hagga. quest. IV. cuius integer textus prostat l. c. Th. Goodwin, seu potius Hellingert.

Christiani patefaciunt. 3. Etenim ut Messia dignitatem in Jesum conferant quæcumque in antiquis oraculis de humillima et afflicta futuri Messia conditione dici videntur litterali sensu accipienda esse contendunt. In universum vero quæ de Messia gloria ac triumphis in iisdem exhibentur in sensu mystico, ut aiunt, et spirituali seu improprie et allegorice exponere coguntur (a); 4. porro contraria omnino ratione rem se habere vel levis oraculorum Messianorum inspectio et veteris synagogæ sensus traditionalis cuilibet suadebunt. 5. Ubiunque enim vel in Psalmis, vel in prophetarum libris de Messia agitur, semper nobis proponitur imago potentissimi regis, felicissimi herois, gloriosissimi reipublicæ restitutoris, coloribus ab imperii Davidici aut Salomonici flore, regumque orientalium pompa sumptis depicta, varietate et mirifice ornata. Si jam pridem de Messia passuro et morituro constiterat inter prophetas, qui tandem factum est, prout scite advertit Rosenmüller aliique cum ipso (b), ut omnes altum de eo silentium servarent, et quum toties ejus gloriam cecinissent, vix obscure in uno vel altero loco prioris humilitatis ejus ac miserie mentionem facerent? 6. Ponamus autem, apparere in quibusdam oraculis antiquis Messiam patientem et moriturum clare et perspicue; tum vero haud intelligitur, cur ætate Christi Judæi et Apostoli ejus rei tam parum meminissent, ut apud eos spei Messia cum gloria et potentia regnantis unice deditus ejus humilitas et miseria haberet maximam offensivam. 7. Post ejus mortem demum Evangelistæ et Apostoli nonnulla ejusmodi vaticiniorum dicta ad Jesum retulerunt, 8. quæ tamen proprie non spectant nisi ad integrum populum judaicum, quem passim prophetae per prosopopeiam vel personam moralem exhibent patientem, afflictam, morti traditam, ut Is. LIII. et seq. Ergo.

R. Ad 1. D. Nisi perspecta esset illius populi indolectas ac perpetua agendi ratio cum viris sanctis atque prophetis suis, C. hæc supposita N. Jam vero tempus

(a) Ita fere Orobius in II. et III. ad Limborchium Scripto §. 4. et seqq.

(b) In prænotat. ad c. LI. Is. part. III. vol. III. ed. sec. p. 329. seq. et cum ipso de Wettus in Comment. De morte Christi Berol. 1813. 4. p. 29. seqq. Eckermann in den theologischen Beyträgen seu in Collationibus theolog. vol. I. fasc. 1. p. 192. seqq. Dr. Paulus, seu Paulusius in Memorabil. III. p. 175—192. et in sua Clavi in Isaiam ad h. l. Doederlein in præf. et not. ad. edit. III. vers. Is. Schuster comment. in Is. LIII. 7. LIII. 12. Bertholdt in Christolog. Gesenius aliique rationalistæ passim. Qui tamen diversas vias inierunt; alii siquidem existimant in utroque capite agi de universo populo judaico tanquam persona morali; alii de meliori tantum et proba populi parte pejoribus et improbis opposita; alii censent quidem singularem personam esse sermonis objectum, sed hanc vel Mosem esse, vel regem Oziam, vel Joziam aut prophetam ipsum Isaiam aut Jeremiam. In hisce interpretationibus plures jam præverant Judæi interpretes ex iis qui post Solyorum exitum scriperunt quorum antiquissimus occurrit apud Origenem lib. I. contr. Cels. n. 55. ed. maur. opp. t. I. p. 570. Cf. Danz de Lytro redempt. human. §. IV. in Meuscheni N. T. ex Talmude illust. p. 838.

deficeret volentem cuncta recensere, quæ de rebellii et contumaci illius populi indole et agendi ratione cum Deo, ejusque ministris refert historia eique exponunt prophetæ. Non solum enim vocatur populus incircumciscus auribus et corde, Deum exteriori rituum apparatu colens dum corde ab eo alienissimus est, sed præterea constat in Mosem liberatorem et thauraturgum sæpius eum insurrexisse et adversus Davidem mitissimum regem facta rebellionem arma sumpsisse; vexationibus, injuriis, contumeliis prophetas passim læcessisse notissimum est. Quare Jeremias II. 50. «Devoravit, inquit, gladius vester prophetas vestros, quasi leo vastator, qui præterea conqueritur XI. 19. quod se ipsum ejusmodi populus quasi agnum mansuetum ad victimam duceret; innocentem se acerbissima quæque ab eo pati profiteretur XV. 10 21. iudicio iniquo plus semel condemnatum fuisse XVIII. 18. seqq. XXXVII. 45. XXXIII. A Manasse eo numero interfecti prophetæ exhibentur, ut eorum sanguine publica civitatis loca redundarent IV. Reg. XXI. 16. Nebemias inter peccata, ob quæ Judæi e terra sua ejecti essent IX. 26. et illud numerat, quod vates a Deo missos, a quibus ut respicerent admonebantur, interfecissent. Quid mirum igitur si populus iste, si ipsius pontifices, qui Jeremiae falso crimine mortem machinati sunt, si synedrium, quod præsertim Christi ætate ex hominibus constabat nutu potentium delectis et cooptatis, quid mirum, inquam, si homines ejusmodi arrogantia tumidi, ambitione et avaritia insatiabiles in furem acti fuerint conspecto homine, qui sanctissima præcepta adferens vitam ipsis suam sola diversa vivendi ratione improbat, et majorum suorum exempla sectati ipsorum mensuram impleverint? Hinc patet non majus præjudicium causæ Christi inferri ex Judæorum ipsorumque pontificum repudio quam tot sanctissimis viris attulerint machinationes et neces ipsis ab illorum majoribus illate (a).

Ad 2. D. Si anticipata iudicia non obstitissent, C. si hæc et pessimi eorum mores aliud ferrent N. Tenebat profecto omnes Judæos ætate Christi Jesu vehementer desiderium et expectatio adventus Messia, ut omnia illius ætatis documenta ostendunt, at in Messia ex adventu ac superinductis opinionibus temporalem liberatorem præstolabantur, qui ipsos e gravi romanorum jugo eriperet, nec nisi carnalia, ac mundanam gloriam sibi ex ejus adventu promittebant, humilis propterea Jesu conditio eos graviter offendit, nec induci poterant ad agnoscendam in ipso Messia dignitatem adeo contrariam præconcepitis opinionibus. Accedebat etiam quod in Christi Jesu vita et doctrina

(a) Cf. Grot. De verit. relig. lib. V. Hoc item argumentum plene evolvit De-Rossi op. cit. cap. VIII. §. 28. seqq. atque in clarissimo lumine collocat causas omnes quæ influere debuerunt ex rerum adjunctis ad repudiandum Christum Jesum. Expectatio potentissimi regis qui eos e romanorum jugo eriperet; odio doctorum in homines vulgares et illiteratos; contemptus quem in Galilæos illius ætatis homines proferebantur; libertas qua Christus Jesus vitia et mores phariseorum et sacerdotum insectabatur etc.

reprehensionem vitiorum suorum habebant molestissimam; quod tum ille, tum ejus discipuli a Galilæa erant; Galilæi enim penes Judæos in summo contemptu habebantur. Corruptissimos Judæorum ipsorumque procerum mores illius ætatis Josephus testatur, qui propterea censet Hierosolyman aut terræ hiatu, aut igne fuisse absumentam nisi eam romani evertissent (a). Hinc Deus ipse per prophetas suos prædixerat fore ut Messias ipsis cederet in ruinam et scandalum, reprobandus et occidendus, adeo ut rejectio Christi Jesu novum suppeditet ipsius dignitatis messianæ argumentum, ut mox evincemus.

Ad 3. D. Ita exposcente oraculorum ipsa natura et factorum serie C. pro libito N. Certum est messiana vaticinia ad speciem contraria de futuro Messia enunciare, alia scilicet quæ ipsum pauperem, despectum, novissimum virorum, doloribus ac infirmitatibus obnoxium, igitur, contemptum, ac morti denique ipsi violentæ obijciendum fore prænuant (b),

(a) Integri septem libri de Bello judaico legendi essent, ex quibus luculenter patet quibus moribus, qua feritate non solum *sicarii, zelotæ, latrones* præditi essent, sed ipsi sacerdotes ac summi Pontifices, qui fuerunt causa potior extremæ cladis Solyorum ac templi: sane concludit Josephus lib. VI. cap. VIII. n. 5. ed. Haverc. «Ardentibus autem Hierosolyms illuxit dies gorgia mensis octavus ubi (quidem) tot calamitates, cum obsideretur expertæ quot bonis si florisset ex quo fuerat condita plane invidenda ipsa esset; non tamen alias tantis infelicitatibus digna, quam quod talem progeniem edidit a qua subversa est.» Sic in Talmude tract. Sanhedrin, *ketuboth* et *Sota* R. Seelomoh ad cit. tit. Sanhedrin c. Halc; in Talmud rursus tit. De ponderibus, ubi traditio R. Jehuda in masoreta ad eundem tit. Sanhedrin c. Halc refertur: «Quo tempore adveniet filius David, domus institutionis divinæ fiet lupanar» aliæque ejusmodi traduntur, quæ perhibent mores illius ætatis corruptissimos, hominesque impudentia canina, asinaria contumacia, ferina crudelitate donatos. Cf. hos tract. in Thesaur. Ugolini. vid. t. XXV. p. 956. seqq.

(b) Ps. XXI. LXVIII. Is. LIII. Dan. IX. Zæch. XII. 10. etc. Sed quod caput est, neque Judæi antiquiores dubitarunt de Messia exponere scripturarum oracula in quibus sermo fit de ipsius doloribus, afflictionibus, morte denique violenta iuxta expositionem christianorum. Brevitatis gratia nos unum vel alterum locum adducemus; in Tr. Sanhedrin fol. 98. 2. legitur: «Ula dixit: veniet Messias, sed nolo ipsum videre. Et sic quoque dixit Rabba. Abai dixit Rabba: quoniam est causa? Ille respondit: *Propter dolores Messia*» et postea: «R. Iochanan dixit: veniet Messias, sed nolo ipsum videre. Risch Lakisch causam quaerivit, cui ille respondit: propterea quia scriptum est Amos V. 19. Quemadmodum si fugiat homo a facie leonis etc.» Simeon Joehaida in Sohar Exod. fol. 5. col. 11. C. Simeon sustulit manus, fleuitque et dixit: Væ illi, qui ad hoc ipsum tempus (Messia) destitutus etc.» *Dolorum Messia* crebra in scriptis Judæorum est mentio in Mechilta in Jalkut Rubeni II. fol. 90. 1. 2. legitur: «R. Humme dixit nomine R. Acha: in tres partes divisæ sunt omnes castigationes et poenæ, unam sustinuerunt David et patriarchæ; alteram generatio nostra, tertiam Rex Messias, quod dicitur Is. LIII. 5. *et ipse vulneratus* etc.» In Sohar Genes. fol. 29. col. 115. «Supremus inter illos, qui in hoc mundo castigationes et dolores sustinuerunt, est Messias etc.» Qui plura cupit consulat Schœttgenium op. c. lib. VI. c. III. Raym. Martini Pug. fid. P. III. dist. III. c. XVI.